







10091

28

1732, 29

LECTORI  
BENEVOLO

S. P. D.

D. IO. FLORENS RIVINVS  
PAND. P. P.





LECTORI  
BENEVOLO

S. P. D.

D. IO. FLORENS RIVINVS

PAND. P. P.







**M**anifestae turpitudinis et confessio-  
nis est, nolle nec iurare, nec ius-  
iurandum referre *L. 38. π. de iure-  
iur.* datur enim litigantibus, siue  
ex subtili reuerentia tenti, *L. 21. ff.  
de fide instrum.* siue metu Diuini  
Numinis ad superstitionem vsque  
timidi *L. 8. pr. π. de condit. insti-  
tur.* siue alia verecunda cogitatione et modestia, quod for-  
tasse lites exsecrentur. *L. 4. §. 1. π. de alien. iud. mut.  
caus.* commoti fuerint, *L. 25. §. 1. π. de pecun. const. facultas,*  
iurandi conditionem vel in totum, vel pro parte, iudice  
approbante, *L. 12. C. de rebus cred. referendi, L. 34. §. 1. π.  
de iureiur. L. 9. C. de R. C. et aduersam partem iudicem  
de causa sua faciendi, L. 1. pr. π. quar. rer. act. non dat.*  
Hinc relatio iuramenti ex Romanorum Iure venit; Ca-  
nonico *c. f. x. de iureiur.* vsque fori comprobata, nec  
id est

) 2

Con-





Consuetudinibus Feudalibus incognita II. F. 33. Neces-  
sarium equidem non est, ut quoad ipsius iurisiurandi for-  
mulam delatio et relatio conveniat, sed personarum con-  
ditio, et factorum qualitas interdum varietatem inducit,  
hinc conceptio arbitrio iudicantis relicta eiusdemque of-  
ficio terminanda L. 34. §. 5. et 8. π. de iureiur. Caute  
tamen ac prudenter erit procedendum probeque ca-  
uendum, ne confusio factorum admittatur. Non enim  
transeundum in eorum castra, qui iuramentum relatum  
indistincte de veritate, licet vel maxime facta aliena et a  
tertio suscepta, contineat, praestandum esse existimant. In-  
valuit inprimis hic mos pronunciandi in Scabinatu Li-  
psienfi, qui, ex parte deferentis, quotiescunque ad factum  
probandum prae reliquis probandi mediis iuramenti dela-  
tio adhibita, certitudinem et indubitam fidem deside-  
rat et praesupponit, eo, quod alias non permittitur, fun-  
damentum actionis aut exceptionis, in dubiis, et ad nu-  
dam scientiam credulitatemue directis verbis collocare,  
praesertim vero deferenti incumbat praestatio iuramenti  
calumniae. Proinde dubitare non posse deferentem, as-  
serta suo mediante iuramento veritatis corroborare, nec  
id, quod leges de iuramento credulitatis in fauorem eius,  
cui inuito delatum iuramentum, disponunt, ad eum, qui  
relationis sacramentum subire debet, applicandum esse,  
autumat. Recensui in *Dissertatione de Iurei. in alter.  
anim. §. XL.* casum, qui mihi, in foro versanti, coram  
Iudicio Mercat. Lipsi. anno 1712. in causa C. E. contra P.  
H. obtigit, et subieci sententiam vna cum rationibus  
decidendi. Imo nouissime, Mense Oct. superioris anni,  
in causa I. F. C. contra A. R. et conf. ad Praefect. Lipsi.  
cum reus iuramentum relatum quoad facta aliena de veri-  
tate in termino praefixo detrectaret, summo rigore a Dn.  
Scabi-



Scabinis desertionem eidem irrogatam fuisse memini. At mitius et benignius cum litigantibus agit Ordo noster, qui, super factis alienis, neminem iuramento veritatis gra- uandum esse existimat. Inde Mense Septembr. anni 1728. ad interrogat. Dnn. Deputat. zur Land-Stube, in concursu C. Snorrens, correxit formulam iuramenti de veritate conceptam, sequentem in modum: Und ist der Schuldner zu Abschwörung des ihm referirten Eydes de credulitate billig zuzulassen. Nobiscum amice conspirarunt Icti Vi- tembergenses, prout apparet ex reformatoria illa sententia, quam in supra nominata causa, ad Praefecturam Lipsiensem hoc ipso mense edixerunt: Nunmehr ic. Das Mitbeß. principal an dem ihm referirten Haupt-Eyde sich nicht ver- säumet, sondern dazu dießfalls de credulitate annoch zuzu- lassen. Nec immerito, facta enim propria et aliena, diuer- sa sunt, nec horum qualitas, indoles et natura per relatio- nem susceptam immutatur; potius relatio regulariter se re- fert ad delationem, cum eademque conuenire, atque ita intelligi debet: iura tu de intentione tua. Hoc supposito, factum semel alienum, constanter tale manet, et leges non modo silent de discrimine iuramenti credulitatis, sed omnem omnino differentiam respuunt, iniquumque esse censent, de alieno facto alium de veritate iurare *L. 11. §. 2. π. de act. rer. amot.* Quod inprimis exinde apparet, dum ne quidem haeredes, qui tamen cum defuncto pro vna eademque persona reputantur, atque ex eius iure litem prosequuntur, adigi possunt, vt de facto defuncti proprio, ve- ritatis iuramentum praestent. Imo, iure Saxonico rem deci- sam esse et vno eodemque modo pronounciari posse, persuasi- sumus, siquidem in *Ord. Proc. Veteri Tit. XII. §. 5.* ex- presse dispositum, quod quidem de facto alieno delatio et relatio locum inuenire, sed posterior priori accommodari debeat:



debeat: Et in *reuis. Ord. ad eund. Tit.* Potentissimus, toties §. 3. 4. 6. et 8. differentiam iuramenti credulitatis et veritatis inculcauit. In iuramento vero calumniae frustra praesidium quaeritur, hoc enim intuitu factorum alienorum non praesupponit veritatem, sed potest deferens probabiles rationes et coniecturas habere, quibus ad credendum permouetur, e. c. quod tertius ille, qui negotium gessit, vir integrae fidei ac famae sit, cuius assertis fidem et assensum tribuit, licet fortasse res aliter se habeat. Proinde inhumanum videtur, aliquem, qui ipsum factum non commisit, nec negotio ipsi praesens interfuit, adeoque non absolutam ac indubitaram scientiam rerum gestarum habere, nec plene conuictus esse potest, ad iurandum super veritate, et ut periurium anceps subeat, iniuriam cogere, et laqueum quasi conscientiae iniicere velle *L. 4. pr. 7. de in lit. iur.* Sedulo potius cauendum, ne ex necessitate sententiae et sacramento colorato, Respublica impiis periuriis afficiatur, et per sententias iudicantium, quae periuria quouis modo euitare et commissa punire debebant, via quasi periuriis aperiatur et necessitas imponatur, dispendium salutis subire *L. 2. C. de indict. viduit.* aut minimum, in iuramenti temerarii peccatum praecipites dentur homines. Quilibet sane religiosus, facilius, ad fugiendam scrupulosam animi conscientiaeque anxietatem, ab actione abstinebit; e contra reus, aduersarii sui probitatem et religionem sentiens, actore iuramentum in alterius quasi animam detrectante, cum ipse de veritate facti certioratus, iurare nequeat, referendo iuramentum, iniquo modo totius causae reportabit victoriam. Imo rem conscientiae esse putamus, iuramentum veritatis eo casu ab aduersario suo expectare, optime enim applicanda veniunt verba *Augustini: in c. 5. C. XXII. qu. 5. ille, qui*



qui hominem prouocat ad iurationem et scit, eum non tūto posse iurare de veritate, peccat, ecce iurat! ecce peierat! Tu quid inuenisti? imo et tu periisti! Satius profecto foret, eo inprimis casu, quando referens e. c. in negotio communi cum tertio celebrato, veritatem facti certo scit, adeoque de veritate iurare potest, denegare penitus referendi facultatem, reumque ad iuramenti praestationem obligare, ne in tenebris delitescat veritas. Sed nominandi nunc veniunt decem Iuuenes Nobilissimi, nempe

DN. CASPAR FRIDERICVS GRANZ,  
Lipsiens.

DN. REINOLDVS GOTTLOB LISCH-  
CKE, Zschopau. Misn.

DN. FRIDERICVS FLORENS RIVINVS,  
Lipsiens.

DN. FRIDERICVS HEINRICVS GRAFF,  
Lipsiens.

DN. CHRISTIANVS FRIDERICVS RVHL,  
Lips. Misn.

DN. IOHANNES HENRICVS LANGE,  
Plav.

DN. IO-



DN. IOHANNES CHRISTIANVS LVDO-  
VICVS, Guelpherb.

DN. CHRISTIANVS GRAFF, Mitweyda  
Mifn.

DN. GOTTLIEB SIEGISMVND SCHWEL-  
ZER, Lipf.

DN. CHRISTIANVS ABRAHAMVS  
CLAVDIVS, Beucha Mifn.

Qui Disputationes Publicas ad Schoepferi Synopfin Iuris  
Priu. Rom. German. Forenf. meo sub praefidio ita conti-  
nuabunt, vt quilibet eorum, fingulis Diebus Saturni,  
publice indicandis, horis Antemerid. X. ad XII. in Audi-  
torio ICtorum, integrum aliquem Librum Pandectarum, a  
Lib. XXXIX. vsque ad finem, respondendo, caeterum op-  
ponendo, prout cuilibet ordine deferetur, examinet. Qui-  
bus conflictibus, vt Nobiliffimi Dn. Commilitones, et ii  
inprimis, qui Themidos castra fequuntur, frequentes ad-  
fint humaniffime rogantur. Dabam Lipfiae Dominica  
Oculi A. S. R. MDCCXXXII.

---

LITTERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMII













Leipzig, Diss., 1732 L-2

ULB Halle  
004 508 335

3



sb.

1018









1732, 29

11

# LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. IO. FLORENS RIVINVS  
PAND. P. P.

